

**Dissertatio
hebraeo-philologica,
Šalšelet hat-te' amim sive
consecutionem e...**

Paulinus, Simon,

11 Ae 8:o (var. a)



National Library
of Sweden

19.
Σὺν Θεῷ
DISSERTATIO HEBRÆO-
PHILOLOGICA,

שלשלת
הטעמים

SIVE

CONSECUTIONEM
ET MINISTERIUM SENSUS AC-
CENTUUM SACRI CODICIS HE-
BRÆI IDEALITER EXHIBENS:

quam

*Suffragante Ampliſſ. Fac. Phil. in inſtyto hoc,
quod ABOÆ est, Muſarum Palladio,*

PRÆSIDE

Viro Præclariffimo

M. SIMONE PAULINO,

Lingv. Hebr. & Græcæ Profell. celeberrimo,

Præceptore ac Promotore ſuo multis no-
minibus colendo.

Publicæ Sophorū ſυλληθηται modeſte ſubmittit

CHRISTOPHORUS C. ALANUS,

In Auditorio Max. d. 10. Maji, An. 1687.

Impr. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.



SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
VIRIS FIDELISSIMIS,

*Nobilitate & Amplitudine Præclaris,
rerumq; Civilium Consultissimis,
Prudentissimisq;*

DN, MARTINO

LDGEGZSD/

Domino in Konhaff/&c. Tertito-
rii Sarmatiensis Juridico æquil-
simo, Patrono, Mecœnati & Nu-
tritio devoto pietatis cultu æta-
tem venerando.

DN. NICOLAO

ALANO,

Dicasterii Aboënsis Adessori gra-
vissimo; ut Consanguineo suo Ho-
noratissimo, ita Promotori be-
nignissimo.

ANNOS & FELICITATEM!



Multo usu & applausu frequē-
tari hac tempestate solet so-
lenne illud Græcorum: ἀρ-
χομένῃς ἐργῶν θέμεν τηλαυγῆς πρόσωπον;
Vestibulum operis præfulgido
frontispicio insignendum esse. Ra-
piunt quidem ad se sibiq; id solis di-
ctum putant illi, pro quorum lau-
dibus vigiliæ præsentis omnium-
que bonorum favor certare vi-
dentur; Nec tam Mœcenates quam
æstimatores scriptis suis cupiunt.
Ast hnjusmodi ingeniis quorum
processus sunt planè dissimiles, po-
tiori jure venditari debet; Quis
quippe vix & ne vix quidem in
proclivi sit commentationi suæ
philtrum anquirere, nisi lumini-
bus eximiis vestibulum reniteat,
specieq; speciosi Argumenti nullis
non adblandiatur. Hæc dum ego
met

met intra me ipsum volvo, fore,
fateri subit, non incertum modo,
sed & plane nullum operæ preti-
um, si *vestris nominibus* Patroni O-
ptimi præsentis dissertationis fron-
tem distingvere dubitarem. Nunc
itaq; quos scribentis vilitas Thesi-
bus hinc exulare jubet, iidem vel
hinc nominibus redeant ament,
pervolvant, quod videant auspiciis
initia præclaris fieri. Vos interea
Patroni *Speciatissimi*, quo vestra du-
cit *Virtus*, ite, spartamq; humani-
tatis adornate feliciter, ut de feli-
ci successu serio; triumphare possit
hoc devotionis gratiq; animi pi-
gnus, quod offert

Nominum Vestrorum

Addictissimus cultor
CRISTOPHORUS ALANUS.

§. I.

SI verum est quod Rabbiorum
sapientissimi monent: Per-
fectionem cujusque ope-
ris consistere in magnitudine u-
tilitatis quæ ex eo percipitur:
Utique in omnibus literis Palmarium
salutari debet LINGVÆ HEBRÆÆ
studium; Id enim hoc habet Mysteriorum, ut
æque late se extendat ac ipsa V. T. Scri-
ptura sacra. Sed heic non putandum
omnia quæ in scriptura sunt materia-
liter purè Theologica esse: Quædam
enim Theologica sunt, quædam juridi-
ca quædam Physica &c. Maxima au-
tem hujus lingvæ vis se prodit circa
cognoscibile Theologicum. Querit ali-
cubi Vossius, An, si nullus superes-
set codex Hebræus, actum esset
de verbo Dei? Cui ex Patrum vete-
rumque interpretum sententia solide
respondet Wasmuth: Qui obturave-
rit caput alicujus fontis; obturat
& is qui hanc ignorat, quid enim Cæco co-
lores conferunt) nonne eadem ope-
ra-

Lingvæ
He-
brææ
vis in
Theol.

2 ra rivulis & puteis ejus omnibus
 aqvam intertrahat. *Revera sub-*
lato aut deserto codice Hebræo perit il-
 le VERITATIS FONDS ORIGINARIUS
 cujus Authentia animam & vitam
 præbet omnibus versionū rivulis. Hinc
 apparet eos admodum infelici sydere
 Theologica tractare qui pro Theologis
 Φιλολόγοι & aliena opinionis
 mancipia esse amant, satisque habent
 si interpretum duntaxat vestigijs in-
 herere possint. Sed tales dum crede-
 re quam judicare malunt, versat eos
 atq; præcipitat traditus per manus
 error alienus, alienisq; exemplis tan-
 dem pereunt. Sed his quid immo-
 rer ἀδολεσκία ἐστὶ τὰ φανερά λέγειν.

§. II.

Deinde & eos hanc novisse oportet, qui
 à juris & Philosophia professione no-
 mē habent; Doctē n. pro more suo Spert.
 ait Cōmunem scripturę librū esse,
 unde sua hauriūt Theologi, sua
 juris Consulti, sua Physici. Notum
 enim est multa adhuc ex lege Forensi
 17. Mosaiica imperatoria auctoritate ex-
 cer.

ICTO

In R.

Phys. p.

17.

cerpta vim legis apud nos quoque ob-
sinere. Vid. Osiand. in Grot.

§. 3.

Sed nec minus Philosophicis discursi-
bus hujus lingvæ ignorantia obstat
& officit. Non enim necesse ait Doct.
Calov. πρῶτο 9. in Clas. subst. p. m. 181.
ut omnia corpora lumine natu- Philo-
ræ constent, omne vero quod est sopho
vel in scriptura vel in natura re-
præsentari debet. Exempli loco sint
Aqua ἐπεράνοιοι, de quibus è libro na-
tura nihil prorsus constat unde nequit de
bis differere, quem sana explicatio vo-
cum AL PENE-RAKIA SCHAMAIM, quæ
voce duplices quidam aquas innui
volunt, lateat. Quare tot tantaque
capita, quæ lingvæ hanc Protoplasto-
rū, summa ejus utilitate lætata scriptis
suis illustrare aggressi sunt, operam mi-
nime perdidisse putantur: nā habuere sa-
nè quod mirati sunt. Robur autem
ingens subtilitasque summa etiam in
Accentibus est sita, quorum ratio ha- Robur
Etenus magna ex parte incerta, in in ac.
star inexplicabilis Labyrinthi fuit, Do- centibus

nec rem ceu domesticam ingenio omnine-
 que verè *Dadaleo Vir* εβραϊκότητας
D. Wasmuth. præ aliis feliciter arri-
 puit, & perfecit. Nunc vero quod
 materiem hanc mei quoq; ingenii co-
 ticularum esse volui, non eo fine factum
 ut aliorum labore summo partem glo-
 riam in me transmoverem, quod de
Thrasone suo Gnato pronunciavit apud
Comicum. Non eo inquam fine; sed
 ut ad aliqualem *Thematic* hujus, ut
 & sui ipsius cognitionem ἀγνοία detra-
 cta animus mihi deducatur. De cetero
 autem necum hoc ipsam reputo, quam
 difficile sit post *Roscium* in orche-
 stra placere & danum ἡλίε κείον-
 τος δούρον ἀπην. *Processus* autem talis
 fere οἰκονομία erit: ut primo de
natura & *usu* *Accentuum* genuino apud
Hebreos; Deinde de ipsa applicatione
accentuum quam *accentuationem* s. *con-*
secutionem quoq; vocant; Tertio *con-*
secutionibus sive *Questionibus* quibusdam
 controversis *Cognatis*q;, animus sit
 differere. Sit itaq; auspicijs *Altissimi.*
 MEM.

MEMBRUM PRIMUM,

παρασκευασικόν,

De termini Accentus ὀνομασολογία Ἐπαιγμασολογία, Ἐqua circa eam notanda.

§. I.

Platonici dicti memor, primam semper quæstionem esse de verbis etsi potior sit de rebus, statim é tractationis frontispicio vocis ἔτυμον aggredior. Apud Rabbinos vox TAAM notione accentus venit, cujus duos significatus notarunt Lexico-graphi. Aut enim saporem denotat, habeturq; Num: ii: 8. ubi de Man dicitur quod fuerit TAMÒ CETAAM LESCHAD HASCHAMEN Sapor ejus sicut sapor humoris ex oleo. Aut 2:do Sensus rationisq; notionem involvit, ut illud Aben Esræ HAIBHRIM ISCHMERU HATTEAMIM VELO HAMMILÓTH id est Hebræi observant sensum non verba, Conf. Ps. ii9. 66.

Accentus quid Hebræis.

§. II.

usus I.
 etymo.
 logicus

Inf. Pa-
 rag. 7.
 m 1.

ἐυφω-
 νία.

Prior significatio accentuum usum circa voces singulas involvit, qui Etymologicus dicitur: nullum enim palato nectar suavius dari potest: quã ex accentuum collatione & ministerio propullulãs auribus ἐυφωνία. Accentibus quidẽ ratione officii sui primarii distinctivi scil. consideratis, nulla toni cura est; perindequẽ fuerit, an in hunc finem accentum quis adhibeat Hebraice scribendo, an vero lineam tantum rectã syllabis acutis subscriptam. Non enim ut apud Græcos alius præ alio Accentus magis acuit, sed id accentus faciunt quasi occasionaliter, & secundario quod infra pluribus in re simili, ubi de officio accentuum Musico agimus, patebit. Quod vero ad ἐυφωνίαν, notum est insignem etiam tum in hac tum aliis lingvis utilitatem sapere, nec enim ait Vossius, bene loquitur, qui in
 pro-

pronunciando, aut producenda
corripit, aut corripienda produ- 7
cit. Euphonias autem studiosis-
simos hebræos semper fuisse pro-
bant inter alia solennes istæ vo-
calium alternationes de quibus
Wasmuth. Gram: p. 202. seqq.
ut & mutationes ob accen-
tus majoris cum primis distin-
ctionis, quasi huc respexisse vi-
deatur Rhetorum Romanorum
mellitissimus, qui *sententiam sono-
ro finiendam vocabulo precepit* id e-
nim faciunt Hebræi dum pro-
- & ∴ sonorum illud ∴ suffi-
ciunt.

§. III.

Sed, ut ad rem redeam, ultro
succedit significatum posterior,
quod haud obscure, ni fallor, ve-
rum & naturalem accentuum u-
sum prodit, QUI SENSUALIS quo-
que sive ἑμφνευλικός audit: De hoc ita loquitur sapiens AbenE-
fra; *Quæcunque expositio non fuerit* II. usus
juxta rationem accentuum, nec acqui- ἑμφνεύ-
escito λικός.

escito ei, neque audias eam. Et sic
 Calonymus: qui *hos recte intelli-*
geret non egeret expositione alia. Sed
 fidei haud parum lucisque huic
 rei fœneratur, aliarum lingua-
 rum Collatio; Cum enim vel ser-
 mo latinus sine interpunctione
 evadat obscurus & ambiguus,
 unde illa verborum Christi de-
 pravatio; Amen dico tibi hodie,
 mecum eris in Paradiso, nimi-
 rum aliquando, ne scilicet Pur-
 gatorium subitus iste Cœli in-
 cola extingveret. Quanto ma-
 gis hoc in textu Hebræo usu ve-
 nire posset, qui non uno nomine
 Amphiboliis quandoq; obnoxius
 esse videtur; Casus enim diver-
 sarum terminationū Hebræi non
 habent sed ē structura sermonis,
 præcipuè e cohærentia aut lepa-
 ratione vocum per accentus di-
 judicandi sunt. Præprimis vero
 tum ubi status absolutus pro con-
 structo ponitur. Conf. Es. 42: v.
 25. Prov. 22. 21. Et contra ubi
 VOX

casum
 distin-
 gvunt
 Accen-
 tus.

vox quæ conspicitur in statu re-
 giminis, stat pro absoluto; & in
 aliis innumeris ubi ne minimum
 quidem variati casus Argumen-
 tum conspici potest, nisi per ac-
 centus. Unde vulgatus etiam
 de *προβουλισία* naturali in tribus
 Noachi filiis error, quando ex
 Gen: 10. 21. Japhetum natu mi-
 nimum fuisse probant: cum qui-
 bus facit & alia recepta versio.
 At refutante eum accentuatio-
 nis dictamine; nam quo mi-
 nus veritas frater Japheti major,
 obstat accentus Conjunctivus
merca in IEPHET, qui hoc sensu i-
 bi locum habere nequit, cum ne-
 xum syntacticiū præsupponat o-
 portet, qui heic nullus. Sed dabi-
 tur forte de his inferius quoq;
 dicendi occasio.

Triga
 noachi-
 darum

§: IV.

Græcis notante Wasmuth p.
 Vind: 220 Accentus *θέσεις* vocan-
 tur, vocabulo satis commodo.
 Nam in hoc potissimum utilita-
 tis eorum cardo vertitur, *ut voces*

Accen-
 tus
 quid
 Græcis

10 per intervalla deponant, quo spiritus longa dictione fatigatus, vires suas per spatia decreta resumat, & sint quasi via sensuum & lumina dictionum, qui sic Lectores dociles faciunt, tanquam si clarissimis expositoribus imbuantur. Unde Athnach requiem & respirationem quandam audit quasi a rad. NUAHH requiescere, quod is maximæ distinctionis signum intra versum profanicum sit. §. V.

Latinis
Accen-
tus
quid.
Buxtorf
lex Bib.
p. 444.
& 924.

Denique Accentus nomen quod Latini adhuc retinent ab accinendo dici neminem latere puto, quo sensu Hebræis quoque NEGINTH dicuntur, quæ vox musicam pulsationem & modulationem notat. Hæc autem explicatio An & quomodo nostro instituto faveat nunc quoque paucis, B. L. Venia dispiciendum erit. Notum quidem est Scripturam Sacram, imprimis vero Psalmos Davidis, certis Melodiis accommodatos, decantatosque a Judai-

â Judaica Ecclesia fuisse, tum ex II.
Esra cap. 3. II tum etiam variis
Psalmorum inscriptionibus quæ
תֹּוֹר נֶגִינוֹת NEGINOTH sive instrumento-
rum Musicalium mentionem fa-
ciunt manifestum est, quorum
rationem qui curiosior aliquanto
esse velit habeat a Clariss. D. Peiff:
in Dub. Vex. pag. m. 559. seqq.

§. VI.

Qualis autem fuit ista modu- De Mve
latio? Multis olim Clarissimis si a
auctoribus persuasum Musicam Hebr.
Hebræorum ex accentuatione æ- opinio-
stimatam: Cantasse eos secun- falsa.
dum Accentus, & quidem ita ut
Accentus exprimerent sonos for-
maliter, tum in ascensionibus â
gravi sono in acutum, tum vice
versa, idque juxta valorem hujus
& illius Accentus: quasi præci-
pue eo fine data sit accentuatio
Biblica UT RElevet MI serum
fA tum SOL itosque LA bores.
Unde ista Bohlij *querela: hæc ars*
fuit Satane, ut arceret Christianos à

Con.

12 *Constructionis verae scrutinio S.æ S.æ;*
quando perſuafit *Accentus, ut Musi-*
cales notas; Judæis relinquendos esse.
Sed quanto debiliore talo stet
figmentum hoc de Musica Judæ-
orum, tanto quoque minori ver-
borum apparatu resolvi atque
confutari potest. Et cum primis
ab absurdo Argumentando: si
scilicet *in Phœniæ* studiosissimi sint
Hebræi, quod sup. etiam a nobis
evidentum, utique à tali con-
fusione quam hujusmodi Musi-
ca consiliaret alienissimi esse de-
bent. Quid autem nisi confusio
esset cum singularem cuiq; ac-
centui clavem assignantes alii
tremulum alii fractum, fortem
alii, pars submissum inversumq;
&c. sonum extorqueant, Argu-
mentisque in universum omni-
bus tum jubulatoriis tum eju-
ratoriis cantus eosdem tribuant;
Constans enim & perpetua est
accentuationis harmonia tam in
Profais quam Metricis libris,
tam

tam in textibus threnodiis ac jubilatoriis pro æquali nimirum distinctionum & Conjunctionum sede. Ceu infr. Memb. 2. pluribus expeditum damus.

§. VII.

Maxime vero probabile videtur Judicium eorum, qui tum demum accentus ab accinendo putant sine absurditate & Læsione Majestatis eorum dici, si ea tantum ratione cantus ex accentuatione metiantur, ut quidem non hanc vel illam clavem ex hoc vel ex illo accentu profluentem, sed moderationem, Pausâque quæ silentii moram in musicis designat heic sibi promittant. Commodè autem via alia fieri cant⁹ nequit, nam ex observatione Puncti, Coli, comatis & distinctionis cujuslibet minutissimæ sciri oportet, quando intendenda syllaba, vel remittenda, quamdiu continuandus sonus, aut etiam silentium interponen-

Musica
Hebr.
ratio.

14 ponendum; Ne forte istud: κλέ-
θειν τὰ ἀσύγκλωστα, vere locum
inveniat.

§. VIII

Melo-
dia du-
plex.
Comprobavit se præterea mul-
tis distinctio Melodiæ s. modu-
lationis ejus quæ conceptibus ad-
scribitur, & illius quæ aurium
voluptatem tantum respicit.
Non tam hanc quam illam can-
toribus istis accentus Commen-
dant, juxta illud

*Non vox sed votum non Musica cor-
dula sed Cor,*

*Non clamans sed amans cantat
in aure Dei*

Ratio autem hujus Melodiæ hæc
est, quod tum cantans, tum au-
diens, varietate sensuum & ar-
gumentorum, quam demonstrant
Accentus, varie afficiantur;
cantus hujusmodi a quibusdã ora-
toriis, vocatur ea propter, quod vi-
vã quasi Oratoris vocem, his no-
tis Accentibus scil subtiliter ex-
pres-

pressam & cum re ipsa conve- 15
nientem proferri audiant.

§. IX.

Summa autem eorum que ha-
ctenus de Accentibus dicta sunt, Ipsa
eo nunc redit, ut perfecta tan- Accen-
dem Definitio haberi pos- tuum
sit, quæ Wasmutho ferme talis Defini-
est. Accentus Hebræorum est tio.
signum seu notio Grammatica,
sensualem nexum periodi diri-
gens, Syllabasque convenienti
elevatione & depressione mo-
derans.

§. X.

Juxta Conceptum Conveni- Capelli
entia in data definitione Cappel- circa
lianum de Accentibus errorem, Accen-
in mille unum, notamus. Is, ac- tus er-
centus, Apinas & tricas & si quid rot.)
vilius illis, nominat, finemque
primarium esse dicit ut Perfecta
ratio Grammaticorum sibi Con-
staret. Nos vero Accentus si-
gna Grammaticalia cum Philol.
præstantissimis nominantes, ali-
ter

16 ter explicatum, intellectumque volumus. Latuit, ut videtur, Capellum vera Grammaticæ Hebrææ

Gram. ratio, Dum tantam putavit Grammaticorum auctoritatem esse, ut rem tam nobilem proprio ductu ausuque audeant aggredi & fingere. Notum enim est Axioma quod D. Calov. in Nool. habet, Grammatica dirigenda ad bonos Auctores, non vero auctores examinandi e Grammaticis: Auctorem vero hæc lingua authenticum, præter Scripturæ

D. Cal.
Nool.
p. 109.

Boecl.
dissert.
de ling.
lat. p. 35.

Lips.

accent.

ἑω-
πνευ
σία.

autem De ἑωπνευσία accentuum Capellus & alii dubitent, ridiculum esse, præter ea que jam jam addu

adduximus, unicum adhuc quod
palmarium est, asseverat. Quod
forma significationis sententiarum
Accentibus ut vocum vocalibus,
jure meritoque tribuatur. Conf.
Wasmuth. Vindic: Hebr. par. i.
Sect. 4.

17

MEMBRUM SECUNDUM;

*Quæ ratio Consecutionis Accen-
tuum?*

§. I.

Sicut nobilitatis, ita etiam pa-
lestræ plena materia semper
habita est naturalis consecutio
accentuum; juxta illud: difficilia
quæ pulchra. Consecutio autem
*nihil aliud est quam accentuum har-
monia* quædam sive tenor æqua-
bilis, quo semper & ubique sine
ulla instantia aut Contrario E-
xemplo, in recurrente eodem aut
simili vocum positu, iidem aut
similes ἀσλόγως recurrunt accen-
tus. Wasmuth: Vindic. Hebr:
part. i. cap. i. Sect: IV. Hinc du-

Conse-
cutio-
nis de-
scriptio

B

plicem

18
qvotu-
plex

Metriū
proprie
dictum
heic
nullum

plicem Accentuationis rationem a Sp. Sancto in codice Hebræo observatam fuisse patet, quoque posito fundamento, distinctio librorum in Prosaicos & Metricos accepta atque probata fuit. Quæ, accedente benigniore interpretatione facile tolerari potest, ceu infr. par. 2. patebit, suspecti autem sunt termini, multisque in sequiorem partē trahuntur. Duplici autem via quidam præsertim aggressi sunt probare Metron proprie sic dictum, tale nimirum quod, à syllabarum numero, quantitate sive natura vocalium hodie æstimari solet, in quibusdam Libb. Bibl. Psalmis Prov: & Jobo, dari, indeque metricos eosdem denominari. I. via inductionis exemplorum, quæ Carmina Metrico-Rythmica repræsentant. E. g. Ps. 106. 5. Ps. 116. 7. Job. 31. 4. Prov. 24. v. 19. vel 2. Hypothesice, Carmina nimirum Metrica ex difficultate digno-

dignoscendi non statim negari 19

posse, eodemque modo metra-
heic se habere ac apud Comicos,
imprimis vero Terentium, cu-
jus, ceu apud priscos quoq; per-
svasum multis fuerit, fabulis, nul-
lam inesse Carminum legem,
quod tamen falsum est Conf. Te-
xtor. Profod: l. III. Sed Ridicu-
la est, quod ad prius, a parti-
culari argumentatio juxta illud:

refellū-
tur Ar-
gum:
Con-
traria

μία χελιδὼν ἕαρ μὴ ποιεῖ: Deinde
distingvimus inter ea quæ per se
& de industria fiunt, & ea quæ fi-
unt præter intentionem prima-
riam ex quodam quasi incidenti.
licet enim in locis citatis *μετρίων*
π̄ reperiatur id tamen præter in-
stitutum primarium Scriptoris
factum est. Unde nec posterius
Arg: aliquid probare potest, cum
Comicorum ista a Communi le-
ge deviatio ut extraordinaria
& rarior, in Sacro vero codice
ut perpetua cenceatur.

I.

II.

B 2

§ 2. Pro

Carmē **stinguendum est inter Carmen**
 dupl. **εἰ πλάται, & κατ' ἀκριβείαν sum-**
 confide **ptum, non enim omne carmen**
 ratur. **seu canticum necessario præsup-**
ponit metrum aut etiam Ryth-
 mum, quasi impossibile sit id can-
tando proferre, quod secundum
leges Poeseos non sit dimensum;
Cantica habemus Ecclesiastica,
Mariæ, Ambrosij, Puer natus in
Behlehem &c. quæ tamen metri-
cè ἀκριβῶς scripta non sunt, sed ita
tantum adaptata & disposita, ut
cantari possint: Talia Carmina,
libri vulgo metrici dicti habere
possunt. Causam vero, rationemq̃
appellationis, in singulari Sty-
lo in his libris usurpato tutius
collocam⁹, quem Characterē quo-
dam Poetico animatum sobriè
autumant eruditi. Nam & Re-
ctè Grammaticus quidam ad So-
phoc. allegante alicubi Heinſio
ἠθικὴ τῶτο μέγιστον, αἰτ, εἰ ποιητικὴ δηλῶ
ἦθος

Cur
 dican-
 tur Me-
 trici.

Oratio
 ἠθικὴ

ἄθος. Horum autem libb. oratio
 non ἡθικῆ modo sive morata est
 sed & παιδικῆ: Qui novit quid
 sit ἐν ἡδαι γραφαῖν, innumeras fere
 occurrentes descriptiones in iis-
 dem non sine admiratione per-
 volvet. Πάθος inter alia ipsa sen-
 tentiarum brevitatis haud obscu-
 re indicat, δεινότερον namq; τὸ βρα-
 χύ, & ut telum breve sed acu-
 tum magis ferit; ita breve sed
 argutum responsum ait Loccen.
 not: in Epamin: Et in cæteris ea
 propter hos ab aliis diversa ac-
 centuatione distingvere voluit
 Spir. Sanct. Hoc tamen notan-
 dum Accentuationem metricam
 nonesse de formali ratione prin-
 cipali eorum, quæ supra causam
 ejus fecimus. cantus nimirum,
 sive orationis aut styli, ita scilicet
 quasi impossibile sit libris metri-
 cis accentus abstrahere, profai-
 cosque substituere, quod tamen
 factum videmus in Cantico Can-
 ticorum, Moyſis, Heroum, &

21

v. Boeci.
 dissert.
 de lin.
 lat:

παθητι-
 κη.

Pfal. 18. 2. Sam. 22. accentuatione
prosaica recensito. &c.

§.III.

Conse-
cutio-
nis fun-
damen-
tum.

Unde porro patet, differen-
tiam inter accentuationem pro-
saicam & Metricam esse tantum
accidentalem quod Conferenti
præter loca citata, Psalm. 105.
cum 1. Chor. 16. 25. ad oculum
patet quorum alter è libro Pro-
saico alter è Metrico, quamvis di-
versos habeant accentus, easdem
tamen servant distinctionum &
Conjunctionum sedes. Nam pe-
dem utraq; figit sive in Princi-
piis istis Grammaticis quæ con-
structiones & nexus syntactici
vocantur: sive etiam in dicta-
mine quodam rationis ratiocina-
tæ seu Logico, quo potissimum
metiri debemus propositionis ali-
cujus quantitatē & differentiã, ac-
centuumq; infallibilem consecu-
tionē. Definiunt quidem accentus,
quibus in vocibus sedes vel di-
stinctionis vel conjunctionis sit
consti-

constituenda sed indefinitè , sine 23

ulla dimensione firailis certæque ubiq; quantitatis & valoris unius ejusdemq; ubiq; accent⁹. Indifferenter enim se habent omnes accentus distinctivi ad cunjlibet valoris, Puncti, Coli, semicoli, Comatis &c. proportionem. Statam quandam ac certam cuique accentui pro dignitate sua, communis opinio, ut Eg. Silluko Punctum,, Athnacho Colon, Sægoltæ semicolon &c. adsignavit. Sed falsum, id procul dubio esse ipsa textus applicatio probat. Allegari potest locus 2. Sam: 17. ubi per vers. 28. 29. 30. unica tantum proposito se extendit, unde in vers. 29. Silluk vel semicomatis valore contentus esse tenetur conf. Gen. 1.1. ubi & Athnach. simili valore venit.

§. IV.

Qui autem à priori; nam ista accentuum signa à posteriori tantum hoc faciunt; valoris & quantitatis

titatis imprisq; sensus investigator esse velit, naturam subjecti & prædicati Propositionis indagare debet, offendetque secundum dictamen logicum, majorem semper distinctionem intra propositionem esse. ubi subjectum contradistinguitur. Prædicato & Contra. Heic tamen sciendum contradistinctionem non impediri Grammatica constructione vocis. Nam Continuæ constructionis propositio dari quidem potest, ast ob accuratissimam Hebræorum distingvendi rationem, qui semicoma etiam in multas partes secant; duæ voces per servum actu talem nunquam copulantur. Quod sic Grammaticè constructum est per accentum vero distinctum, illud *Semicomatis* significationem obtinet. *Coma* vero ibi ponendum, ubi propositio simplex desinit; Et

Dist. va
rietas

Et *Colon* in termino propositionis compositæ, talis autem dicitur, quæ plures propositiones continet. Punctum vero, ubi ita incidit, ut duæ aut plures propositiones versam claudunt. Hæ autem omnes distinctiones cognati vel discreti Argumenti, jam majores jam minores æstimari debent.

§. V.

Excipere vero heic commode quis possit: Si ex natura vocum atque propositionum sive conjungendarum sive separandarum metiri velis accentus, sequitur quod vix & ne vix quidem sensum genuinum propositionum Sacr. Script: quem ab accentibus, ceu fonte limpidissimo emanare hæctenus evictum fuit) assequi possimus, cum constructionū aut etiam Propositionū sensus sine accentuū opera nequeat liquido quādoq; erui, imprimis ubi duæ reperiuntur voces omni casuū di-

scri-

Object.
duplex

26 scrimine carentes, nullumq; fig-
num mutatiouum puuctorum
admittentes, E. g. J E H O V A
S C H A L O M exponi potest Do-
minus pacis, Dominus pax,
Dominus pacem &c. Resp. Duo

Resp.

proponit objectio I. Naturam sive
habitudinem vocum ad se invi-
cem II. propositionum naturam,
unde etiam valor accentuum in
indifferentem & definitum distin-
gui solet. Quod ad prius, dico

Ad I.

Constructiones Grammaticas,
non magis esse mensuram quan-
tatis accentuum quam Axio-
ma quoddam philosophicum, ve-
ritatis fundamentaliter in natu-
râ tepræsentatæ mensura dici po-
test. De quo superius part. I.
parag. 10. Quod ad posterius sci-

Ad II.

endum neque accentus esse
mensuram propositionum, sed
& eos iterum e natura Propo-
sitionis mensurari. Nam a no-
stra ignorantia ad rei negatio-
nem non valet conseq. Loquimur

jam

jam præsertim de Accentuationis
negotio fundamentaliter, & qua-
tenus radicatum fuit in intellectu
Amanuensium θεωπνεύσαν. cujus
respectu Principia hæcce logica
præsupponit Accentuatio quod
etiam analogice in noëmatibus
quibuscunque aliis confirmari
potest. Nos vero in demon-
stratione distinctionum à poste-
riori eo tantum acquiescimus, ut
ope hujus viam ad immediatam
affectemus.

§. VI.

Quod denique ad legem istam
ordinemque perpetuæ infallibi-
littatis quem servant in sua re-
publica Accentus, attinet, impro-
ba codicis Hebræi lectio satis a-
abunde dat atque docet, Nam ut
alibi, ita & heic, & im-
perare & imperata facere, natu-
rale est, observatis modo Ano-
malix & Absentix conditionibus,
dum *distinctivus minor pro servo,*
servi pro distinctivis, subdistinctivi
majo-

28 *majores pro minoribus &c.* ponuntur. Item *Athnach, Merka maphachatus & Sakepkaton* vel fibus exulant. Quæ omnia partim deformitatis, partim incertæ, suspectæque fidei Argumenta multis visa fuerunt; sed de his consuli in cæteris potest Inst. Acc. Wasmuth. Buxtorfij Thesaur: l. 1. c. 5. August. Pfeiff. Manuuct. ad accent. &c. Nobis hac vice sufficiat cum Xenophonte, unde hauriant, locum ostendere: *Causas tot exceptionum mirari quam rimari præstat; cum talis accentuum διωνομία ipsi commoda videbatur, qui MERUCHO HU KIBBETZAM spiritu suo ipse congregavit eos. Esai. 34.16.*

MEMBRUM TERTIUM,

Confectaria sive questiones Hebræo-Philologicas complectens.

QVÆST. I.

An Christo & Apostolis lingua Hebræa fuerit vernacula?

S. I.

Negativam quæstionis confir-
 maturi, ad tres linguæ He-
 brææ ætates quibus, ut reliqua
 omnia, enata stetit, defloruit tan-
 demque occubuit, dispiciemus;
 Prima per quam plurima & nu-
 merosa secula, ad captivitatem uf-
 que Babylonicam, duravit, per
 quod tempus licet varia & an-
 cipiti fortuna luctata erat, floru-
 it tamen apud Hebræos mansit-
 que vernacula, integra atque in-
 corrupta nec tempore servitutis
 Ægypticæ tabem aliquam con-
 trahere potuit; Nam Tria, jux-
 ta Rabiniorum illud tritum, in
 Ægypto non mutarunt. Israelitæ,
vestimenta nomina & linguam. Ut ut
 non nullæ reperiantur in textu,
 etiam ante Captivitatem Babyl.
 exarato, voces exoticæ ut E. g.
Chaldaice Gen. 31. 47. Ps. 2. 12.
 Prov. 31. 2. de quib. Conf-Calov.
 crit. sacr. pag. 82 & 84. *Arabicæ*
 quoque vestigia vel in unica i-
 sta vo-

Lingvæ
 Sanctæ
 status
 tres

I. iv a x.
 144

sta voce ELOACH apparere autu-
 mat non nemo; Nec desunt, qui
 etiã vocabula Græca in codice He-
 bræo demonstrare volunt, quæ
 quidem non ante, sed in ipsa ca-
 ptivitate usurpata ajunt Dan: 3. 5.
 Efr. 2. 69. vid. Cal. II. cit. Imo
 & Latinæ lingvæ vestigia in vo-
 ce NUGE Soph. 3. 18. dari asseve-
 rat Hieronymus, *nugas* interpre-
 tans; Sed *nugas* procul dubio fa-
 pit sententia ista: notum enim est
 vocem esse à rad. JAGA mœstus
 fuit, quæ in partic. Niphal sin-
 gulari ratione pro *Colem* habet
Schurek.

§. II.

Hæ, inquam, voces exoticæ
 & peregrinæ, lingvam primige-
 geniam de statu suo illibato, non
 adhuc deturbare possunt; fiqui-
 dem eæ alium in finem, Scil. vel pro
 ratione rei vel personæ substratæ
 vel etiam ex usu lingvæ insertæ
 sint,

31
sint, de quibus agere nostri nunc
instituti non est, sed tantum in-
vestigare terminum inclinatae &
abrogatae lingvæ, quatenus ni-
mirum in individuis radicatur
non vero quatenus in codice Sa-
cro existit, cujus respectu ne mini-
mum quidem Iota periturum,
veritas testatur. Illo itaque sen-
su secundus est Hebraismi incli-
nati status, qui cum ipsa cepit
Captivitate Babylonica, ubi *πα-
ρακμην*, & pristini vigoris dimi-
nutionem non minimam exper-
tam fuisse, subit asserere, & i-
ta quidem, ut Chaldaïsmis obru-
ta, in aliam linguam declinare
non nihil videretur, mansit ni-
hilominus vernacula quod ex
Prophetarum qui post captivita-
tem Babylonicam florere, con-
cionibus certum est.

Status
secun-
dus de-
flora-
tionis.

§.III.

Status vero tertius sive *καθαί-
ριστος* tunc insinuare sese cepit,
ubi

ubi succedentibus, post captivitatem
 istam temporibus, (verba sunt Clariss:
 Pfeifferi Dub. vex: part:2. pag. m.
 212.) cum Judæi Syro Græcorum Bel-
 lus impeterentur, usu lingvæ Hebrææ
 in familiari sermone penitus oblite-
 rato, orta est quedam lingvæ inter
 eos, nec pure Chaldaica, nec pure Sy-
 riaca, quam proinde Chaldaeo-Syram
 non injuria appellamus; Hæc ille.
 Hæc autem lingvæ Christo, A-
 postolis, Judæisque tunc temporis
 fertur fuisse vernacula, dicitur-
 quæ alias Hierosolymitana, ut
 & Galilæa, nam differunt inter
 se tantum ut dialecti; non di-
 versæ lingvæ, sed diversi unius
 lingvæ modi sunt, unde & Galilæa
 Div. Petrum Hierosolymitanis
 prodidit.

§. IV.

Pro
 Hebr.
 verna-
 cula
 ratio-
 nes.

Qui vero pro Hebræa Christi ver-
 nacula pugnant, *Primo* quod non
 titulus modo crucis, sed & quæ-
 dam nomina propria in N. T.
 ἱβραϊσὶ exarata fuisse dicantur,
 ex

ex Joh. 19:13,17. Secundo quia mos
 obtinuit Mosen siugulis Sabbatis
 populo prælegi, Act. 15: 21. Tertio
 quod Christus quoque Esaiam. E-
 braicè allegasse legatur Luc. 4:
 18: 1. Resp. Hæc tamen argumenta
 tanti ponderis non sunt, ut statu-
 minare queant præconceptam o-
 pinionem. Nam quod ad *primum*,
 etsi nomina illa dicantur Hebrai-
 ca, tamē non sunt sumta voce, stri-
 ctè & insignificatu proprio: siqui-
 dem per *εβραϊστί* apud Evangeli-
 stas non idigitatur lingua Hebrai-
 ca priscais temporibus usitata qua
 tradita sunt *λόγια Ἰησοῦ*, verum
 illa in quas lingua sancta sequio-
 ribus temporibus declinavit.

§. V.

Ad rationes vero secundam &
 Tertiam dicendum licet Salva-
 tor verba textus explicanda, sive
 pro more sive emphasis causa sive
 quosdam intelligentes ex textu
 Hebraico prælegerit; nam sermo-
 nem hebræum quibusdam fami-

liarem fuisse, ut etiam Græcum non imus inficias, ut ut negemus fuisse vernaculum; Explicationem tamen & applicationem adjecisse lingua Hierosolymitana, aut alia populo intelligibili, dubium non est. Ast neq; hic Clariss: Leusdenii ratio contemnēda, qua verisimile esse statuit, *Christum legisse textum è Paraphrasi Chaldaica; quia verba ea que ibi citantur, nec cum textu Hebræo ad litteram conveniunt, nec cum versione 70 virali.* Quod vero Christi allegationes attinet, terminis easdem aliquando angustioribus circūscribere videtur. Licet ea quæ à Salvatore nostro ex V. T. allegantur, neq; cum textu Hebræo neq; 70 virali græco qua voces ex asse cōveniāt, inde tamen vix sequitur Christum legem citando, ad paraphrasin Chaldaicam refugisse, Non enim semper ad verbum, sed sæpe ad sensum allegantur V. T. dicta. Alicubi neq; ad versionem istam, neq;

ver-

Philos:
Hebræo
mixt.
p. 34.

verba textus sealligavit Spirit. San: 35
sed sensum novis verbis expressit
optimus ipse suorum verborum
interpres, nihil ergo repugnat,
quin textum hunc Es. 61. v. 1, 2, lin-
gua originali allegaverit, suam ve-
ro post ob rudem populum ad hi-
buerit ἐξηγησίου. Sed heic per me
licet cuiq; suo abundare sensu.

QVÆST. 2. *Utrum vox CHARI Ps. 22. 17.
exponi debeat per nomen, sicut leo, An
per verbum transfoderunt?*

§. II.

Tot de hac voce sententiæ quot
capita sunt, Quidam expo-
nunt vocem per CAPH similitud:
& ARI leo, in quibus est, ipse Bux-
torfius & Leusden, repetendo ver-
bum præcedens HIKKIPHUNI sed
eidem adsignando significatio-
nem illam quam habet, dum est
a prima radic: NUN sc. perfodit,
Job: 19. 26: sicq; reddunt: Cir-
cumdederunt me canes; cœtus
malignantium perforarunt instar
leonis manus meas & pedes meos;
Com-

36 Coñunior autem & tutior, quippe quæ quam plurimorum interpretum calculo approbata est expositio per transfoderunt, neglecta penitus leonis mentione, sed & heic varij variè se expediunt. D. Gesnerus Coñent: in h. l. Fridlib: & alii, punctum addunt, leguntq; CAARE quasi sit in statu regiminis cum T sere ablato MEM finali, & inserto ALEPH Epenthet: sicq; exponi docent: *perforantes manuum pedumq;* Quæ opinio duplici cum primis absurditate laborat. *Prima*, negari vocalium à *Deſſiav* divinam; si enim licet Vocales pro placito mutare, utiq; litteris coæva non sunt. Deinde accentuationis naturæ contrariatur. est enim in voce CAARI Distinctivus Archidux Rebhia Gereschatus, qui immediatū regimen status constructi indubitanter negat. nam, ut Wamuth. Acc. pag: 32. ait, hoc regimen semper majorem nexum habet cum voce sequente quam cum præceden-

dente, estq; perpetua observatio 37
ista, nec ullam exceptionem nisi
post particulam LO admittit.

§. II.

Proprius vero ad veritatem accede-
re videntur, qui vocem CAARI in Partici-
pio *Plurali*, à rad. in usitata CUR consti-
tuunt, loco CAARIM; nota autem est A-
pocope terminationis pluralis MEM in
quibusdam vocibus, ALEPH vero illud
Epentheticum est quod heic incidit post
vocale longam quieti suæ homogene-
am, Wasmuth. Gram. Hebr. p. 72. Atq;
sic recte versus exponitur: Cœtus mali-
gnorum circumvenerunt me, fodientes
manus meas & pedes meos; Quæ inter-
pretatio consecutioni quoq; accentuum
exacte respondet; nam licet constructio
Syntactica inter, *fodientes manus meas*
requireret accentum conjunctivum; ta-
men cum non plane eadem constructio-
ne respectus fiat utriusq; ad primam; ita
enim in accentuum negotio ditionis vox
ultima vocatur; utiq; recte distinctivum
accentum vox CAARI habet; ὁμόςηφος
in hac controversia nobis est Cla-
riss. Pfeiff, Diss. De voce CAARI.

*Senten-
tia
vera*

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

Εἰς τὴν τῆς φιλοπονίας καὶ ἀκριβείας πολλῆς
Διατριβὴν, τῆ τῆς παιδείας καὶ κα-
λοκαγαθίας ἀληθῶς τετυ-
χηκότος,

Κυρ. ΚΡΙΣΟΦΟΡΟΥ Τῆ ΑΛΛΗΝΟΥ,
τῆ περὶ τὴν Θεολογίαν καὶ Φιλοσοφίαν πρὸς
ἡμῖν ὄητος, φίλος καὶ προσφιλεῖς, Σύγ-
γραμμα.

Οἶδα βεβαίως παιδείας τ' ἀρετῆς Σε ὄρεξιν.
Εὐέλπιτος αἰετῶς, καὶ μεν πε καλ' ἔγκρατα
καίρων.

Ὅν μοι νῦν τ' ὀρθῶς κρατύνεις, παραδείγμα-
τι τῷ

Τῷ δειξάντι σαφῶς σπερδὴν εὐπίστον αἰε-
τος.

Εὐδαίμων πε κόπος σε ὡς, ἐν γράμματι
τέτοις

Ἦν πόρρω τ' ὁ Θεὸς συμπράττειν εἴτε θε-
λήσοι.

ἀυλοσκεδίας

SIMON PAULINUS.

1
Studiorum & integrioris vitæ laudè
Præstantissimo DN. RESPONDENTI,
Amico & Cõilitoni apprimè dilecto,
Cum dissertationem argumenti non minus u-
tilis quam ardui ederet Author, soler-
terq; defenderet;

Gratior an quæquam mortalibus esca pa-
retur,

Quam quæ cœlesti terris dimittitur orbe?
Has licet ex illis gratas depascere mensas,
Quæ calathis portant plenis oracula sacra.
Gratius an quidquam, quæro, quã talia sancti
Sacra Dei, propriis placide gustare labellis,
Inq; suo labio sermonem haurire loquentis?
Hancce dapem libat cœlo quæ mittitur alto
Svadius, allatam vocem qui percipit ipse.
Dirigis huc curas, amplo quo fœnore possis,
Dictos ex studiis dulces depromere fructus.
Svadis Alane. Tuos extollit Musa labores;
Ibit in exemplum, dicit, quod fabricat Author,
Proderit & semper sacris conatibus. Ultra
Omen, ait, meditor certum: rutilabit Olympus,
Ti, Fortuna ferent & mollior aura salutem.

Gratulatur
DAVID Lund.

CHRISTOPHORUS ALANUS,

per Ἀναγράμμα

CHRISAN' LAUS SOPHORUM, *mut. M. in T.*

Explicatio (PHORUM

Masora docta docet quod CHRISAN' LAUS una SO-
PHORUM Nam variat voces: sensus at ipse manet;

Sed sunt Accentus vocum caelestia signa,

Unde petit verus sensus & esse suum.

Quod multis firmat praesens discursus ubique
Pandeetis sacris conveniensque simul.

Talia conari SAN' est LAUS summa SOPHORUM

Et ea qui fecit, Auditor & iste sophus.

IOHAN' DEGRYD.

Gratulatio,

Carmina sollicito, tentarem pangere metro,
Laudesq; omnigenas, pectore valde bono;

Fidi dum ingenii claros extendere nervos,

Desudas vigilans, portio chara sophum!

Ast jubet ut sileam, quia sanguis utriq; propinquus.

Hoc cadit elogium, quod mea Musa daret;

Sed vos Pimpleides, celebrataq; turba novena,

Exercete datas, maximo honore vices,

Pergite dulcesonans ALANO dicere laudes,

Cujus in obscuro fama latere nequit.

Id monstrat cunctis, foetus splendore Coruscans

Themate percelebris, quod bene podium habet.

Ingenuas voveo studiorum ut adaugeat artes,

Jure decus CLARI nominis inde ferat.

GUSTAVUS FONTELIUS

Catb. Sch. Ab. Lector.